

mentis vulcaniis fuerit usus, unde ista acceperit, aut compararit, Zieritz. & ex Remo Steph. hîc.

## ARTICULUS LII.

*Magiæ, sortilegiij, reum quæ interrogari oporteat?*

1. Si sortilegium, aut incantationes fateatur eculeo subjectus, non ab simili modo causæ & circumstantiæ indagandæ sunt, ut modò dictum est. Peculiariter verò quærendum est: Quomodo, quibus mediis, & quando, quibus verbis, aut factis incantationi operam dederit. Quod si fatetur, se aliquid defodisse, aut domi aliquid superesse, cujus sit usus aliquis in veneficio, ea statim refodi, & investigari debent. Quod si nequeant inveniri, nihilominus tamen dicta, facta q; exponenda sunt, an cum sortilegio cognationem habeant. Quæsito insuper opus est, confessus ubi, quando magiam didicerit, quo præceptore sit usus, quidvé damni, & quibus intulerit. *Versio est Zieritziana. Remi versionem retinet Steph. hîc.*

2. Cùm exactè, & non superficialiter de hoc abominando veneficii crimine constare debeat; quæritur: an in eo processus ordinarius necessarius? Quod adfirmant *Ern. Cothm. vol. 1. conf. 12. num. 58. cum seqq. Bernh. Zieritz. hîc, verb. si sortilegium.* Hinc *Petr. Heig. par. 2. q. 35. num. 7. cum seqq.* dicit, in crimine veneficii inquisitis & accusatis copiam indiciorum dari debere. Plura habet *Matth. Berl. part. 4. concl. 4. n. 5. 6. & seqq.* & de magis & sagis copiosè agunt *Godelmannus, Bodinus, Fr. Torreblanca in peculiaribus tractatib. Dn. Herm. Goëhaus. amicus meus, in processu Iuridico contra sagas & veneficos unà cum decisionibus, ad hanc materiã pertinentibus, Frid. Balduin. de gradibus conscientiæ, lib. 3. c. 5. p. 709. cum seqq. Thom. Metzg. & Sigism. Wittum. in consil. crimin. Vide Theatrum de veneficiis, & Thesaurum Exorcismorum, in fuste Daemonum in malignos spiritus, c. 5. p. 443. & passim, Lamber. Danaum, Jacob. Vallick, Vlric. Molit. Adrian. Reinman. Ludov. Lavaterum, Leonhard. Thurneissers Bedencken! Abrah. Sawer. Paul. Frisium tom. 1. & 2. malleorum quorundam maleficarum tam veterum, quàm recensium autorum.*

3. Casum tum ob facti novitatem, tum ob quæstionis difficultatem admiratione dignum proponit, & decidit *Consultissimus Dn. Iohannes Grivellus in decisionibus celeberrimi Sequanorum Senatus Dolani, decis. 33.* quem hîc referam, cùm non sit doctissimus autor in omnium studiosorum manibus: Mulier quædam sortilegii suspecta, & ob id in carcerem detrusa, audita, & interrogata à Judice competenti super crimine, multa sponte fatetur, quibus criminis non tantùm vehementer suspecta, sed & convicta esse videtur; Fatetur enim in primis, se bis, aut pluries interfuisse nocturnis maleficarum conventiculis. Item fatetur fidem & religionem Christianam prius abnegasse, ei q; & sacramentis omnibus renunciasse, simulq; sacrilegam professionem per expressum pactum fidelitatis cum Dæmonibus admisisse: Fatetur deniq; se homagium Diabolo inter maleficas consuetum præstitisse, horrenda, quæ Dæmonibus litant, sacrificia